

"claritas : unde quae habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur." Dividitur in pulchrum sensibile, spirituale, morale.

PERFECTUM. Id cui nihil deest secundum modum suae naturae. Dividitur in *relativum* et *absolutum*.

Perfectum absolutum. Illud cui omnes possibiles perfectiones, et sine ulla limitatione conveniunt. Solus Deus est hoc modo perfectus.

Perfectum relativum. Quod habet eas omnes partiales perfectiones quae suae naturae conveniunt, secundum nempe propriam speciem, vel secundum proportionem ad finem ad quem destinatur ; hinc homo est relative perfectus, seu in specie humana, si corpus organicum integrum et animam rationalem habeat.

PERFECTIO. Partes sive *reales* sive *virtuales* ex quibus res perfecta exurgit, vel exurgere intelligitur, dicuntur *perfectiones partiales* ; et forma totius resultantis ex unione illarum partium dicitur *perfectio totalis*. Dividuntur perfectiones in *simpliciter simplices* et *secundum quid*.

Perfectiones simpliciter simplices. Illae quae nonnisi perfectionem exhibent in proprio conceptu, infinitaeque proinde esse possunt, si illis subtrahas limitationem, quam forte in aliquo subjecto habent. Hujusmodi sunt *vita, intelligentia, iustitia &c.*

Perfectiones secundum quid seu mixtae. Illae quae, licet *entitatem* importent et ex hac parte perfectiones sint, tamen in se nonnullam admixtam referunt imperfectionem. Hujusmodi sunt *vita vegetativa, sensitiva, &c.* : ex parte siquidem vitae habetur perfectio ; sed ut est vegetativa vel sensitiva, imperfectiorem vitam refert.